

3° Quatenus est Christiana. 4° Denique quatenus est singulis quibusdam Hagiographis propria.

Quatenus Graeca et Alexandrina est, fontes ad eius notitiam adquirendam sunt Graeci auctores, ex quibus tamen scriptores sequioris aevi et minus ex polito praefereendi sunt antiquioribus et elegantioribus, inter omnes autem praefereendi Iudaeo-graeci, quales sunt Philo (Alexandrinus), et Iosephus Flavius. Quatenus est Semitica, eius fontes sunt imprimis Versio Alexandrina, tum vero coeterae versiones Graecae seu Graeco-Iudaicae V. T.: item ipsi libri Hebraici, et scripta Syriaca, Chaldaica, ac Rabbinica. Quatenus Christiana est ad fontes christianos primitivos revocanda est, imprimis ad scripta Patrum Apostolicorum, quae omnia graeca sunt, praesertim ubi sensum dictorum N. T. exponunt: ipsa tamen lectio librorum N. T. et attentata comparatio locorum ad hoc fere sufficit. Demum ut est singulis Hagiographis propria eius usus addiscendus est sive ex diligentii consideratione, et quadam familiaritate in lectione uniuscuiusque libri, sive ex expositionibus et observationibus veterum Doctorum.

Haec quidem de fontibus et subsidiis unde certa linguarum biblicarum notitia haurienda et stabilenda est. Cum tamen pauci sint qui per se ex ipsis fontibus eas linguas ediscere aut volunt, aut possunt, plerique vero contenti sint earum cognitionem sibi comparare ex recentiorum grammaticis ac lexicis, res summi momenti est inquirere utrum hi recentiores recta methodo, et accurato fontium usu indolem eandem linguarum biblicarum investigaverint, atque aliis sine errore tradiderint, an vero proprio ingenio levibusque coniecturis indulgentes falsa atque incerta sectati fuerint. Itaque in gratiam tyronum animadvertere invabit pro lingua hebraica opera grammaticalia et lexicalia Sanctis Pagnini, et Io. Baxtorffii repraesentare scholam traditionalem et pure empiricam, proindeque tutam normam discentibus praebere, licet non undequaque perfectam ob neglecta alia subsidia: lexicon vero Simonis, et *Lexicon manuale Gesenii* cum eius *Grammatica*, imprimis vero eiusdem *Thesaurum philologico-criticum linguae hebraicae et chaldaicae Veteris Testamenti* Lipsiae 1829 prae coeteris repraesentare recentiorum methodum temperatam, seu mixtam, in qua scilicet debita ratio habetur interni examinis linguae, et comparationis dia-

lectorum, simul vero fontium et testium traditionis auctoritas observatur (1). Grammaticam iuxta veterum et recentiorum studia brevius, sed accurate tradidit C. H. Vosen: *Rudimenta linguae hebraicae Scholis publicis et domesticis disciplinae brevissime accommodata* editio 4^a curante Kaulen, Friburgi 1872. Ad Graecum vero textum quod attinet caeteris praestant G. B. Winer: *Grammatica Linguae N. T.* (germanice) editio 5^a Lipsiae 1844, quam tamen in nonnullis emendavit, et in aliis ampliavit et perfectit ex catholicis Io. Theodorus Beelen in opere latino: *Grammatica Graecitatis Novi Testamenti*. Lovanii 1838: ex lexicis autem excellunt Wahl: *Clavis philologica Novi Testamenti*. Lipsiae 1829, eiusdemque editio minor Lipsiae 1831, item Wilke: *Clavis N. T. philologica* ib. 1841, et Schleussner: *Novum Lexicon graeco-latinum in N. T.* editio 4^a Lipsiae 1819, sed caute legendi sunt, praesertim hic postremus. Omittimus auctores indicare pro aliis linguis affinis, quarum tamen studium, et ex superius dictis colligitur, summopere commendandum est (2).

ARTICULUS III.

DE USU LOQUENDI BIBLICO INDIRECTE CONSIDERATO IN VULGATA LATINA VERSIONE

Quae hucusque disseruimus ad originarium loquendi usum sacrorum Scriptorum pertinent. Quoniam vero cognitio originalium linguarum, saltem accurata et perfecta, plerisque deest, qui coeterequin Scripturarum lectioni attendere debent, ideoque Scripturam in versionibus et imprimis in Vulgata latina meditari atque intelligere satagunt, necessarium erit aliquid dicere de usu loquen-

(1) Notandum tamen est in hisce operibus quaedam, licet raro, offendi, quae catholico homini probari non possunt. Hinc optime de studiosa iuventute meritus est I. P. Migne Bibliothecae Universalis editor cum eiusdem Gesenii lexicon a celebri P. Drach emendatum rursus edidit una cum grammatica eiusdem Gesenii latine reddita a F. Tempestini, aliis quoque adiectis, sub titulo: *Catholicum lexicon hebraicum et chaldaicum in V. T. libros*. Parisiis 1863.

(2) De his consule copiose et accurate tractantem laudatum Ios. Kohlgreber in *Hermeneutica biblica* §. 49. pag. 83-84.

di Scripturae quatenus in eadem Vulgata exhibetur. Siquidem quamvis haec versio Latina dicatur, non tamen puram et simplicem latinam praesert, sed quamplurimas proprietates, seu idiotismos, linguarum originalium retinet, qui pluribus in locis eam difficilem et obscuram etiam latine scientibus reddunt: « Scriptura nostra (inquit Augustinus Tract. X in Io. Cap. II) quomodo loquitur sic intelligenda est, habet enim linguam suam; quicumque hanc linguam nescit turbatur. » Oportet igitur ipsius Vulgatae Latinae usum loquendi investigare et discere. Ad hunc finem obtinendum nonnulla sapientissime tradit laudatus S. Doctor in Lib. II. De Doctrina Christiana, quae ad tria potissimum revocari possunt.

1° Tota vulgata diligenter et integre perlegenda est:

« Erit igitur (inquit cap. VIII) divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, etsi nondum intellectu iam tamen lectione » et in Cap. IX: « In his omnibus libris (canonicis) timentes Deum, et pietate mansueti quaerunt voluntatem Dei. Cuius operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriae, vel omnino incognitos non habere. » Assidua enim lectione paulatim assuescimus peculiaribus loquendi modis, et sensim sine sensu ex contextu et locorum comparatione eorum significationem intelligimus.

2° Obscuriores locutiones ex clarioribus locis illustrandae et definiendae sunt.

« Deinde (prosequitur S. Doctor in eodem cap.) illa quae in eis aperte posita sunt vel praecepta vivendi, vel regulae credendi solertius, diligentisque investiganda sunt, quae tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentia capacior.... tum vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quae obscura sunt aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant. In qua re memoria valet plurimum, quae si defuerit non potest his praeceptis dari. » Ad memoriam tamen iuvandam sequens etiam monitum praebet.

3° Locutiones illae obscurae speciatim memoriter retinendae

sunt (aut etiam chartae mandandae) ut, data opportunitate, earum explicationem quaeramus.

« Nulla sane, inquit cap. XIV, sunt magis mandanda memoriae (sen scripto) quam illa verborum locutionumque genera, quae ignoramus, ut cum vel peritior occurrerit, a quo quaeri possint, vel talis lectio, quae vel ex praecedentibus, vel consequentibus vel utrisque ostendat quam vim habeat, quidve significet quod ignoramus, facile, adiuvente memoria, possimus advertere et discere. »

Si haec monita studiosi prae oculis habeant et sedulo exequantur, multum certo proficient in intelligentia Sacrae Scripturae. Ut tamen hunc laborem aliqua ratione levemus, operae pretium duximus hic subiicere et explicare praecipuos quosdam idiotismos, seu peculiare loquendi modos Vulgatae Latinae, qui maiorem difficultatem legentibus creare solent. Ne autem confusio oriatur ex indigesta exemplorum mole, atque ut memoriae etiam consulamus, idiotismos dividemus in tres generales classes, prout versantur vel circa nomina (substantiva aut adiectiva) et pronomina, vel circa verba et phrases, vel demum circa particulas sermonis.

I. De idiotismis nominum, et pronominum in Vulgata Latina.

Omissis nominibus pure Hebraicis, quae in Vulgata occurrunt, notamus praesertim sequentes idiotismos in usu nominum, et pronominum.

1° Concordantia casuum aliquando non servatur. Sic ex. gr. 2 Cor. VIII, 23: « Sive pro Tito, qui est socius meus, et in vos adiutor, sive fratres nostri apostoli Ecclesiarum gloria Christi » ubi nominativum ponitur pro dativo « pro fratribus nostris. » Ita etiam Ephes. II, 2. Spiritus loco accusativi Spiritum: « Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae. » Item in Ps. XI, 4: « Quousque irrutis in hominem.... tamquam parieti inclinato, et maceriae depulsae? » idest in parietem et maceriem.

2° Item nominum et pronominum genera aliquando permutantur. Masculino nomini pronomen neutrum additur Sap. I, 7: « Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia

scientiam habet vocis » ubi pro *hic* ponitur *hoc*, servato scilicet genere originariae vocis $\pi\epsilon\upsilon\sigma\upsilon\alpha$.

Foemininum saepe pro neutro absolute ponitur more Hebraicae linguae, quae foemina forma utitur, pro neutra, qua caret. Ita in Ps. XXVI, 4: « *Unam* petii a Domino, *hanc* requiram » idest *unum, hoc*; et in Ps. CVIII, 26: « Et sciant quia manus tua haec: et tu Domine, fecisti *eam* » scilicet *hoc*. Et in Ps. CXVIII, 50: « *Haec* facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisivi » pro: *hoc factum est*. Vide etiam Ps. XXXI, 6 et al.

3° Substantivum aliquando geminatur sive in singulari, sive in plurali numero ad varia significanda. Aliquando significat multitudinem vel universitatem: ita Ps. CXLIV, 4: « *Generatio et generatio* laudabit opera tua » idest *multae generationes*, et Ps. CXXI, 4: « *Tribus tribus* Domini » idest *omnes tribus*, et in Ps. LXXXVI, 3: « *Homo et homo* natus est in ea » idest *plurimi homines*; et 4 Reg. III, 16 Elisaus conversus ad exercitum qui siti adgebatur ad necem: « Facite, inquit, alveum torrentis huius *fossas et fossas* » idest *multas fossas*.

Alias haec repetitio designat vitiosam diversitatem, vel duplicitem rei. Ita Prov. XX, 23: « Abominatio est apud Dominum *pondus et pondus* » idest *statera dolosa*, ut ibidem additur, seu *diversa pondera* ut est in Deut. XXV, 43. Item Ps. XI, 3: « *Labia dolosa in corde et corde* loquuti sunt » seu *in corde duplici* et quasi a seipso diverso.

4° Pro adiectivo seu qualificativo saepe ponitur aliud substantivum in casu genitivo qualitatem designans. Hinc illae frequentissimae docendi formulae: *Turris fortitudinis* pro *turri valida et munita*; *virga directionis* (Ps. XLIV, 7) pro *virga recta seu sceptro aequo*; *homo pacis meae*, idest, *mecum pacificus*; *vir sanguinum* idest crudelis, sanguinarius; *mulier virtutis* (Ruth. III, 11) seu virtuti dedita; *labia scientiae* (Prov. XX, 15) seu docta, e quibus fluit scientia; *homo peccati* seu maximus peccator (2 Thess. II, 3), et aliae huiusmodi.

5° *Comparativum* et *superlativum*, quae in hebraeo propria forma carent, etiam in Vulgata variis modis aliquando exprimuntur a latino usu abhorrentibus.

Et comparativum quidem sequentibus modis denotatur. Ali-

quando per simplex positivum: ita Ps. CXVII, 8: « *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine* » idest, *melius quam* (item v. 9). Ita etiam Matth. XVIII, 8: « *Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, et duos pedes habentem mitti in ignem aeternum.* » Aliquando exprimitur per particulas *a, ab* cum ablativo more hebraico, ubi particula כִּי vel praefixum בְּ inservit comparativo: ita Eccli. XXIV, 39: « *A mari* abundavit cogitatio eius, et consilium eius *ab abyssu* magna. » Aliquando exprimitur affirmando maius, et negando minus ita Is. LXIII, 16: « Abraham *nescivit* nos, et Israel *ignoravit* nos; tu Domine pater noster, redemptor noster; » ubi certe primum membrum non potest accipi pro negatione, sed comparationi inservit, quasi diceret: Tu es Pater noster *magis quam* Abraham, et Iacob. Ita Os. VI, 6: « Quia misericordiam volui, et non sacrificium » idest *magisquam* sacrificium. Aliquando non solum negatur minus, sed contrarium de eo asseritur: ita Mal. I, 2 et 3, et Rom. IX, 13: « Iacob dilexi, Esau autem *odio habui* » idest, *amavi minus* quam Iacob: quo etiam pertinet notum illud effatum Christi: « Si quis non *odit* Patrem suum, et matrem, et uxorem etc., » quod non est certe accipiendum absolute, sed in sensu comparativo.

Superlativum vero item variis modis exprimitur. Aliquando repetito nomine in genitivo plurali, unde illa notissima: *Sanctum Sanctorum, Coeli coelorum, Canticum canticorum, vanitas vanitatum* etc. pro loco *sanctissimo, coelis altissimis, cantico sublimissimo* etc. Aliquando exprimitur adiecto nomine Dei: hinc Ps. XXXV, 7 *Montes Dei*, idest montes altissimi; Ps. LXXIX, 11 *Cedros Dei*, pro cedris excelsis; item *flumen Dei* (Ps. LXIV, 10); *ignis Dei* (Iob. I, 16); *princeps Dei* (Gen. XXIII, 6), et alia similia. Demum aliquando nomen, seu adiectivum bis vel ter repetitur, ut Is. VI, 3: « *Sanctus, Sanctus, Sanctus* Dominus Deus exercituum » seu sanctissimus, infinite sanctus.

6° Usus pronominum saepe discedit a consuetudine Latinorum. Saepissime pronomem personale redundat, praesertim post pronomem relativum. Ita Ps. XXXIII, 29: « Date *Domino* gloriam *nomini eius* » idest date gloriam nomini Domini; Ps. CXLV, 5: « Beatus *cuius* Deus Iacob adiutor *eius*. » Item Ps. XLIV, 17: « *Mons in quo* beneplacitum est Deo habitare *in eo*. » Ps. CIV, 26: « *Misit*

Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum » et alibi saepissime. Aliquando genitivum nominis resolvitur in nominativum absolutum, et pronomen personale in casu genitivo. Ita Ps. LVI, 5: « *Filii hominum dentes eorum arma et sagittae* » idest dentes *filiorum hominum*; item Ps. X, 4: « *Dominus in caelo sedes eius* » idest *Domini* sedes in caelo; cui simile est illud Ps. CII, 15: « *homo sicut foenum dies eius* » idest *hominis* dies sicut foenum. Aliquando pronomen personale praecedit nomen ad quod refertur, ut est illud Ps. LXXXVI, 1: « *Fundamenta eius in montibus Sanctis, diligit Dominus portas Sion etc.* » ubi *eius* ad sequens nomen Sion refertur. Aliquando etiam absolute ponitur pronomen sine nomine, quod subintelligitur, ut est illa formula imprecatoria, et confirmatoria frequenter in libris Regum occurrens: « *Haec faciat mihi Deus, et haec addat* » quin ulla res mala sive antea sive postea nominetur.

7° Denique plura occurrunt nomina et adiectiva, quae vel primum latina sunt, vel saltem in significatione non latina accipiuntur, ex quibus nonnulla indicasse sufficiat. Vox *vitulina* Sap. IV, 3 adhibetur ad designandos propagines seu malleolos plantarum ex graeco *μοσχουματα* (quia *μοσχος* vitulum significat): *lignum* accipitur pro arbore passim: *verbum* saepe accipitur pro re vel *negotio*: *salutare*, *salutaris* pro salute, quae ab aliquo offertur: *Iustificaciones* pro divinis praeceptis: *adinvenciones* pro studiis, vel cogitationibus: *cornu* passim pro potentia, aliquando pro *tumulo*, vel *colle* ut ex. gr. Is. V, 1: *commune* pro immundo (legaliter), vel illoto, unde Petrus Act. X, 14 « *Nunquam manducavi omne commune, et immundum* » et 1, Mach. I, 50 dicitur Antiochum iussisse « *immolari carnes suillas, et pecora communia* » seu legaliter immunda: hinc etiam illud Mar. VII, 5: « *Communibus manibus manducare* »: *Anima* pro *vita* passim; aliquando pro toto homine, imo etiam pro corpore sive vivente, sive mortuo, ut est illud Ps. CIV, 18, de Iosepho Patriarcha: « *Ferrum pertransivit animam eius* » et illud Num. VIII, 10: « *Immundi super anima hominis* » idest super cadavere; et Agg. II, 14: « *Pollutus in anima.* » Item etiam vox *filius* latissimam habet significationem pro qualibet fere habitudine unius rei ad alteram: hinc *filius mortis* 1. Reg. XX, 31 est *reus mortis*, *filius olei* Is. V, 1 est *pinguis*, *filius arcae* Is. XXI,

sunt *grana*, *filius pharetrae* Thren. III, 13 est *sagitta*; item illa notissima *filius lucis*, *filius perditionis*, *filius pacis* (Luc. X, 6) *filius subtractionis* (Hebr. X, ult.) et alia similia. *Baculus panis* Ezech. IV, 16, V, 16 est *victus*. Frequentia etiam sunt *calix* pro *portione* quae alicui contingit, *funis* vel *funiculus* pro *haereditate*, et alia quamplura.

II. De idiotismis verborum et phrasium.

1° Tempora verborum passim inter se mutantur. Ita praeteritum pro praesenti frequentissime: « *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit etc.* » pro *abit*, stat: Hebraei enim formam praesentis indicativi non habent. Aliquando praeteritum pro futuro accipitur: ita Ps. XLII, 3: « *Emitte lucem tuam, et veritatem ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua* » idest *deducent* et *adducunt*: Item Is. XVI, 1: « *Nocte vastata est Ar Moab, conticuit*: quia *nocte vastatus est murus Moab, conticuit* » idest *vastabitur*, *conficescet*; item Joel I, 9, 10 et alibi saepe apud Prophetas. Demum futurum pro praeterito, vel praesenti, ita Deut. XXXII, 39: « *Ego occidam, et ego vivere faciam*: *percutiam, et ego sanabo* » quae non futurum, sed praesens tempus indicant. Ps. XXXIV, 13: « *Humiliabam in ieiunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur* » idest *convertebatur*: Habac. III, 3: « *Deus ab Austro venit* » et vers. 5: « *Ante faciem eius ibit mors*; et *egredietur* *diabolus ante pedes eius*; » idest, *venit*, *ivit*, *egressus est*; nam ibi loquitur de iis, quae olim acciderant in peregrinatione per desertum: vide etiam Ps. I, 2, Am. III, 4, Iud. VIII, 15, et alibi.

2° Verbum geminatum (participium, vel gerundium cum indicativo) saepe adhibetur ad *emphasim* addendam, seu loco verbi vehementioris. Ita Ps. CXVII, 18: « *Castigans castigavit* me Dominus » idest *vehementer castigavit*. Habac. II, 3: « *Quia veniens venit* » idest *cito, et certo venit*. Thren. I, 2: « *Plorans ploravit in nocte* » seu *valde ploravit*. Act. V, 28: « *Praecipiendo praecipimus vobis* ne doceretis in nomine isto » seu *graviter, et districte praecipimus*: clarissimum huius phrasim exemplum occurrit in verbis Saulis a Davide placati 1. Reg. XXVI, 23: « *Benedictus tu, fili mi David: et quidem faciens facies, et potens poteris* » seu *multa facies, et multum poteris*.

3° Verbum *addidit*, vel *adiiecit* saepe adhibetur pro adverbio *iterum* ad exprimendam repetitionem alicuius actionis. Ita in historia Samuels pueri 1 Reg. III, 8: « et *adiiecit* Dominus, et *vocavit* » idest, iterum vocavit: et vers. 21: « *Addidit* Dominus ut *appareret* » pro iterum apparuit: ita Luc. XX, 11, 12: « Et *addidit* alterum seruum *mittere*... et *addidit* tertium *mittere*, » et alibi.

4° Quaedam verba et phrases plures significaciones inter se valde diversas habent in variis locis. Ita ex. gr. verbum *ludere* saepe quidem in sensu ordinario accipitur, sed alias est *pugnare*, ut 2 Reg. II, 14: « Surgant pueri et *ludant* » ex quo *lusu* omnes ad unum mortui sunt: alias est *persequi*, vel vexare, ut Gen. XXI, 9: « Vidit Sara *ludentem* Ismael cum Isaac » quod de persecutione intelligendum esse docet Paulus Gal. IV, 29: alias est *idola colere* ut Ex. XXXII, 6: « sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt *ludere* » quod ibi intelligendum esse de cultu vituli aurei apparet cum ex contextu, tum ex Paulo 1 Cor. X, 7. Item verbum *prophetare* proprie quidem accipitur pro futura praedicere, sed aliquando pro *laudare Deum*, vel canere Dei laudes, ita 1 Par. XXV, 4: « Igitur David et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun, qui *prophetarent* in citharis, et psalteriis, et cymbalis: » ibid. vers. 2: « sub manu Asaph *prophetantis* iuxta regem, » et vers. 3: « Idithun qui in *cithara prophetabat* super confitentes et laudantes Dominum. » Alias est *prophetiam confirmare*, ut Eccli. XLIX, 18 ossa Iosephi dicuntur prophetasse, idest confirmasse praeterita vaticinia: « Et ossa ipsius visitata sunt, et *post mortem prophetaverunt*: » Alias quoque est *miraculum patrare* (cum de propheta agitur): ut de Elisaeo, ad cuius ossium contactum mortuus revixit, dicitur Eccli. XLVIII, 14: « Mortuum *prophetavit* corpus eius. » Pariter phrasus *portare iniquitatem* duos habet sensus plane diversos, et contrarios; aliquando enim significat *auferre iniquitatem*, seu *veniam impetrare*, ut Lev. X, 17: « Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quae Sancta Sanctorum est, et data vobis ut *portetis iniquitatem* multitudinis, » idest, auferatis: item Ex. XXVIII, 38: « *Portabitque* Aaron *iniquitates* eorum, » seu removebit, et *veniam* impetrabit: item clarissime 1 Reg. XV, 23 Saul peccatum suum confessus ait ad Samuelem: « sed nunc *porta*,

quaeso, *peccatum meum*, et revertere mecum ut adorem Dominum. » Alias contra significat *luere poenas* pro peccato sive proprio, sive alieno: ita Lev. XVII, 16: « Quod si non laverit vestimenta sua, et corpus *portabit iniquitatem suam*, » idest punietur: et ibid. XXIV, 15: « Homo qui maledixerit Deo suo *portabit peccatum suum*: » eodemque sensu intelligendum est celebre vaticinium Isaiae LIII, 11, de Christo patiente: « Et *iniquitates* eorum *ipse portabit*. »

5° Demum plura verba vel phrases in Vulgata latina occurrunt vel minime latina, vel in significatione parum latina. Eni quaedam exempla. *Confiteri alicui* pro laudare passim. *Sustinere aliquid* vel *aliquam* pro expectare. *Exultare* in sensu activo pro extollere, ut Ps. L. « *Exultabit* lingua mea *iustitiam* tuam. » *Mortificare* pro occidere, et *mortificati* pro occisi. *Vocari* pro esse ut Luc. I, 32 et alibi passim: *manducare panem* saepe pro prandere. *Corrigere* pro regere, item pro librare, suspensum tenere, ut Ps. XCV: « Etenim *correxit* orbem terrae, qui non commovebitur. » In Ps. XCII, substituitur *firmabit*. Item in Ps. XCVI: « *Iustitia* et iudicium *correctio* sedis eius. » *Praeparare*, vel *parare* accipitur pro *stabilire*; ita Ps. LXXXVIII: *Praeparabitur* veritas tua in eis (coelis) » et vers. seq. « Iuravi David servo meo: usque in aeternum *praeparabo semen* tuum, » item Ps. XCII: « *Parata* sedes tua ex tunc. » *Communicare* accipitur pro inquinare, immundum reddere, ex significatione vocis *commune* alias explicata. Ita ex. gr. Mar. VII, 15: « Quae de homine procedunt illa sunt, quae *communicant* hominem. » *Manducare* vel *vorare aliquem*, vel *carnes alicuius*, est vexare, opprimere. *Revelare aurem* alicuius est manifestare aliquid alicui (1 Reg. IX, 15, XX, 15 etc.) *Ingressi* et *egredi* pro omnibus actis vitae. *Domum aedificare* alicui, est prolem concedere (Ex. I, 21, 2 Reg. VII etc.). Item *dare* vel *parare lucernam*, aut *extinguere lucernam*, solem dare, vel auferre (3 Reg. XV, 4, lob. XXI, 17, Ps. CXXXI, 17). *Osculari manum suam*, accipitur pro adorare, ut lob. XXXI, 17. *Aperire os suum ad Dominum*, est votum facere Iud. XI, 35, 36. *Applicare arcam Dei*, vel *applicare ephod* in libris Regum absolute ponitur pro consulere Dominum. *Contrahere manum* ibid. pro cessare ab oratione. Hisce addere placet varias

figuras grammaticas quibus verba aliquando afficiuntur, quae sunt potissimum sequentes. 1) *Metonymia*. Ps. LI, 7: « *Emigrabit te* » pro emigrare faciet, Rom. VIII, 4: « *Spiritus postulat pro nobis*, » idest postulare facit. *Iustificare* pro iustum habere, vel declarare Ps. L, 6, Is. V, 23. *Obcaecare* vel *indurare*, pro permittere obcoecationem et indurationem passim. 2) *Antiphrasis*. *Benedicere* pro maledicere Iob. I, 11; II, 5; 2 Reg. XXII, 18. *Sanctificari* pro inquinari, vel pollui ut Deut. XXII, 9. 3) *Hypallage*. Iud. I, 8: « *Civitates miserunt in ignem*, » seu ignem miserunt in civitatem: Ps. XVIII, 6: « *In sole posuit tabernaculum suum* » idest, solem posuit in tabernaculo suo, seu in loco suo.

III. De idiotismis particularum.

1° Praepositiones *a*, *ab*, *ex*, ponuntur aliquando pro *magisquam*, *potius quam*, *proae*. Exempla nonnulla dedimus in idiotismis nominum pro forma comparativa; quibus nunc addere possumus locum Ps. CXXXVIII, 6: « *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, » idest, supra me, seu magis quam ego intelligere possim: item Luc. XVIII, 14, de publicano in templo orante ait Christus: « *dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, » idest, potius quam ille (pharisaeus). Aliquando etiam praepositio stat loco *coram*, ut Eccli. XLI, 21: « *Erubescite a patre et a matre* de fornicatione, et *a praesidente et a potente* de mendacio, *a principe et a iudice* de delicto etc. » Scilicet coram patre et matre, potente etc.

2° Praepositio *ad* nonnunquam accipitur pro *de*, vel *circa*: ita 2 Reg. III, 18: « *Dominus loquutus est ad David* (idest de Davide) dicens: in manu servi mei David salvabo populum meum Israel »: Item Hebr. I, 7: « *Et ad Angelos* quidem dicit: qui facit angelos suos spiritus » scilicet *de angelis* dicit. Et in Cap. IV: « *Omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo* » id est *de quo*.

3° Praepositio *in* more hebraico locum tenet fere omnium praepositionum, imprimis vero, *per*, et *cum*: vide ex. gr. Eph. I, 3., Luc. XXII, 49 etc.

4° Item coniunctio *et* aliquando pro causali *ut*, vel *quia*: ex. gr. Ps. XCIV: « *Quoniam ipse est mare, et ipse fecit illud*, » quasi diceret *quia ipse fecit illud*: ita etiam in Ps. CXVIII: « *Da mihi intellectum et discam mandata tua* » seu *ut discam*.

5° *Quoniam*, *eo quod*, saepe stant loco *quamvis*, *etsi*. Ita Is. XII, 1: « *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi* » intellige *quamvis* iratus sis: et clarius Ier. VII, 10: « *Liberati sumus eo quod fecerimus abominaciones*, » ubi certe causalis particula admitti nequit. Ita etiam in Ps. CXXXVIII, 4: « *Et omnes vias meas praevidisti, quia non est sermo in lingua mea* » scilicet: *etsi ego taceam, et eas non manifestem*.

6° Similiter *propter quod* aliquando accipitur pro *ideo*, *idcirco*: ita in Ps. CXV, 1: « *Credidi, propter quod loquutus sum etc.* » idest: *idcirco* loquutus sum.

7° Particula *si* aliquando ponitur pro interrogativa *num?* Ut ex. gr. Luc. XXII, 49 Apostoli videntes satellites Christum impetentes interrogant: « *Domine si percutimus in gladio?* » Ita etiam discipuli Act. I, 6 Dominum in coelum abeuntem interrogant: « *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* » et Act. VII, 1 « *Dixit autem princeps Sacerdotum: si haec ita se habent?* » Frequentissime autem accipitur pro negativa *non*, praesertim post verba iurandi et promittendi ex. gr. Ps. XCIV, 11: « *Quibus iuravi in ira mea: si introibunt in requiem meam* » scilicet, *non* introibunt: Item Am. VIII, 7: « *Iuravit Dominus in superbiis iacob: si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum*, » et Is. XXII, 14: « *Si dimittetur iniquitas haec vobis, donec moriamini, dicit Dominus* » et 3 Reg. XVII, 1 Elias ad regem Achab ait: « *Vivit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, et pluvia* » seu *certo non erit*.

8° Aliquando duae praepositiones una post aliam immediate collocantur contra morem Latinorum: ita 4 Reg. XIV, 27: « *Nec loquutus est Dominus ut deleteret nomen Israel de sub coelo*; » cui simile est illud Luc. XVII, 24: « *Fulgur coruscans de sub coelo* » Ps. LXXVII, 70: « *De post foetantes accepit eum*; » item Soph. I, 6: « *Avertantur de post tergum Domini* » et Matth. IV, 25 « *De trans Iordanem*. »

Isti sunt praecipui Vulgatae idiotismi sive nominum, sive verborum, sive particularum. Notandum tamen est non esse hosce temere supponendos, sed verba Vulgatae tamdiu accipienda esse sensu obvio et ordinario quamdiu non sit necessarium ad idiotismum recurrere.

Nemo autem miretur aut doleat Vulgatam interpretem tot

idiotismos ex linguis originariis retinuisse; hoc enim ad eius fidelitatem pertinet, qui cum difficultatem persentiret totam vim textus in versionem transfundendi, aut verum quorundam locorum sensum certo determinandi, maluit aliquando verbum verbo reddere, quam iudicio suo rem definire, aut quidquam de sensu textus detrahere, seu, ut notat S. Augustinus in Psalm. 50: « Maluit pius interpres minus latine aliquid dicere, quam minus proprie. » Melius certe est habere versionem obscuram alicubi et inelegantem, quam inaccuratam, aut de cuius fidelitate dubitari possit.

Coeterum: « Qui sunt in stylo delicatioris fastidii (inquit idem Augustinus de D. Chr. II, 13) eo infirmiores sunt, quo doctiores videri volunt, bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba: » addit vero in Cap. 14: « Quamquam tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut qui in Sacra Scriptura quodammodo nutriti, atque educati sunt, magis alias locutiones mirentur, easque minus latinas putent, quam illas quas in Sacra Scriptura didicerunt, neque in latinae linguae auctoribus reperiuntur. » Et haec de usu loquendi Vulgatae latinae.

ARTICULUS IV.

DE LOCUTIONIBUS FIGURATIS SACRAE SCRIPTURAE

Libri Sacrae Scripturae, utpote a viris Orientalibus exarati, pleni sunt figuratis loquendi modis, in quibus magna ex parte continetur specialis indoles usus loquendi biblici. Quare de hoc agentes visum est in hisce figuris expendendis paullisper immorari.

Sub nomine *figurae* hic praecipue intelligimus locutiones *metaphoricas*, et *similitudines*: quas inter hoc discrimen intercedit, quod in similitudine comparatio inter duas res expresse instituitur, in metaphorica vero locutione alter tantum comparationis terminus exprimitur, primus vero et principalis auditori vel lectori intelligendus relinquitur. Ita ex. gr. cum Iohannes Baptista dicebat: « Ecce *Agnus Dei* » idem est ac si dixisset: Ecce Christus qui est *tamquam Agnus* Deo immolandus; et cum Christus aiebat: *Ego sum vitis* vos *palmites*: intelligere volebat: Ego sum *tamquam vitis* in ordine ad discipulos sustentandos, et spiritualiter alendos. Metaphorica igitur locutio tunc habetur, cum verba non in suo sensu proprio et ordinario accipiuntur, sed ad rem aliam sub ali-

quo respectu similem denotandam transferuntur, idest cum res aliqua vel sententia per alterius rei similis imaginem menti obiectam representatur. Si haec figura uno vel paucis vocabulis ab solvatur appellatur simpliciter *metaphora*, vel *tropus*, ut cum Christus appellatur *Agnus Dei*, *Leo de tribu Iuda*, *Ostium*, *Panis vivus* etc.; si vero longior sit et ad integrum sermonis contextum extendatur, accuratior scilicet imaginis descriptione, eiusque elementorum enumeratione, tunc dicitur *allegoria* (1).

Circa huiusmodi figuras sermonis officium interpretis duplex est: *primo* ut animadvertat ipsas figuratas locutiones, ne scilicet aut figurata pro propriis, aut propria pro figuratis accipiat, *secundo* ut detectas figuras recte explicet, seu figuras intelligat, et exponat quid per illas figuras vel imagines auctor significare voluerit. Quare, ut ordine procedamus, agemus 1^o De figuratis locutionibus biblicis generatim inspectis, earumque indole. 2^o De modo discernendi figuratas locutiones a propriis. 3^o De modo recte explicandi easdem locutiones.

§ I. De indole figurarum biblicarum in universum.

Stylus Sacrae Scripturae Orientalium cogitandi et loquendi modum praesertim, qui cum ferventiore imaginationis vi polleant in figuris sermonis a nostra cogitandi et loquendi ratione multis modis discedant. Discrimina vero ad haec potissimum capita revocari possunt.

1^o Figuratae locutiones *frequentiores* sunt quam in nostris libris, et quidem non solum in partibus poeticis, aut propheticis, sed etiam in historicis et didacticis, ut videre est ex. gr. in libro Geneseos, in libro Ecclesiastici et in libris Machabaeorum. Quaedam exempla superius dedimus inter idiotismos, quibus addi possent alia quamplura: ut ex. gr. *fermentum* pro mala doctrina, *panis doloris* pro lacrymis, *sanguis uvae* pro vino, *lucerna domus* pro primogenito, *filiae Ierusalem*, *Tyri*, *Edom* etc. pro variis urbibus a principe urbe dependentibus, *filia maris* pro insula (Is. XXIII, 10), *filius Orientis* pro populis orientalibus, *filius aurorae* pro lucifero, *vir*

(1) Notandum est hic *allegoriam* accipi in sensu grammatico et rhetorico, ut est species sensus literalis improprii seu metaphorici; in praecedenti autem parte tractationis loquuti sumus de allegoria in sensu theologico, quae est species sensus mystici, seu realis, ut ibidem explicatum est.

dexteræ pro hominè charo, et accepto; *militia coeli* pro stellis; item *flumina vocem elegantia*, et *manibus plaudentia*, *montes exultantes ut arietes*, *coelum sacco indutum* (Is. L. 3), *portae urbium moerentes* (ib. III, 26), *gladius hostes devorans*, et alia similia.

2° Saepe figuræ *redundantes* sunt; idest ultra scopum metaphoræ vel similitudinis excurrunt, quod apud nos vitii loco habetur, apud Orientales vero elegantiam præseferunt. Ita ex. gr. Cant. IV, 2 Sponsus dentes sponsæ laudans ait: « Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes *gemellis foetibus*, et *sterilis non est in eis*; » ubi circumstantia recentis lavacri ad rem facit, seu ad candorem dentium repræsentandum, quæ vero adduntur de foecunditate, et de gemellis foetibus omnino redundant; idem dicendum est de alia similitudine ibidem vers. 4: « Sicut turris David collum tuum, quæ aedificata est cum propugnaculis, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. »

3° Saepe multo *audaciores* ac *vehementiores* sunt quam nostra cogitandi ratio ferre videatur. Ita ex. gr. Isaias descripturus ultionem a Deo sumendam de Idumæis, aliisque gentibus hac imagine utitur: « Et tabescet omnis militia coelorum (idest sidera), et complicabuntur sicut liber coeli, et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et ficu: » nihil certe vehementius dici potuisset si de fine mundi ageretur. Tale etiam est illud Habac. III, 10: « Dedit abyssus vocem suam: *altiludo manus suas levavit*. » Tale etiam illud Iob. XVII, 14: « *Putredini dicit: pater meus es, mater mea, et soror mea vermibus*, » quemadmodum et illud XXIII, 2: « *Manus plagæ meæ aggravata est super gemitum meum*. » Quæ omnia certe audacissima nobis videntur.

4° Aliquando etiam occurrunt figuræ quæ *viles*, aut *ridiculæ*, vel etiam minus decentes nobis apparent: quod oritur partim ex vehementiori imaginationis aestu illorum Auctorum, partim ex diversa aestimatione in qua res nonnullæ habentur apud nos et apud Orientales, ita ut quod nobis abiectum aut indecorum videtur, illis tale non sit. Ita ex. gr. in benedictionibus Iacobi Patriarchæ Gen. XLIX Ioseph salutatur *catulus leonis*, et Issachar *asinus fortis*; idem Ioseph in benedictionibus Moysis Deut. XXXIII, 17 seqq. ita laudatur: « Quasi *primogeniti tauri* pulchritudo eius, cornua rhinocerotis *cornua illius*: in ipsis ventilabit gentes usque ad

terminos terræ. » Aegyptus Ier. XLVI, 20 vocatur *vitula elegans atque formosa*, et Ephraim Os. X, 11 *vitula docta diligere triturrâ*. In canticò Cant. VII, 4 Sponsus pulchritudinem sponsæ laudans inter alia inquit: « Oculi tui *sicut piscine* in Hesebon, quæ sunt in porta filiae multitudinis. Nasus tuus *sicut turris Libani*, quæ respicit contra Damascum. » Item David 2 Reg. XXII, 9 iram Dei describit sequenti imagine: « Ascendit fumus *de naribus eius*, et *ignis de ore* eius vorabit: carbones succensî sunt ab eo. » Durior etiam sonat alia descriptio iræ Dei vindictam de Philistæis sumentis: « Excitatus est (inquit Ps. LXXVII, 65 seqq.) tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. » Idem dicas de imagine mulieris meretricis, aut adulteræ, sub qua Prophetæ, imprimis Ieremias, Ezechiel, et Oseas aliquando adumbrant infidelitatem Hebraici populi, eiusque a Deo aversionem, ita tamen aperte, ut nostras aures aliquantum offendat.

5° Denique imagines, et figuræ, aliquando *obscuræ* nobis sunt, quia ex rebus desumptæ, quæ Orientalibus quidem, et antiquis Hebræis familiares erant, nobis vero parum notæ sunt. Ita ex. gr. Eccl. XXIV, 17-23 Sapientia suas laudes portexit per seriem quamdam imaginum, et similitudinum, quarum nonnullæ satis apertæ sunt, aliæ ob prædictam causam satis obscuræ: postquam enim se comparasset cedro Libani, palmae, et olivæ etc. prosequitur: « Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam.... Ego quasi terebinthus extendi ramos meos; » quæ a rebus minus nobis familiaribus ducuntur.

Haec sunt præcipua capita discriminis inter figuræ biblicæ, et nostras: ex quibus peculiaris character pœseos hebraicæ aliquatenus innotescit. Ceterum illior pars figurarum biblicarum, etiam secundum nostrum sentiendi et cogitandi modum, pulcherrimæ et efficacissimæ sunt, unde oritur insignis illa biblicæ eloquentiæ ac pœseos sublimitas, quæ non solum aequat, sed longe superat pœsîm optimorum vatum Graecorum ac Romanorum (1).

(1) De indole figurarum biblicarum, earumque pulchritudine et sublimitate plura te docebit F. Lanzi in erudito opere: *De sublimitate Divinarum Scripturarum* Veronæ 1830-34.

§. II. De ratione discernendi locutiones figuratas Sacrae Scripturae.

Criterium generale hoc est: *Verba Sacrae Scripturae tamdiu accipienda sunt in sua propria, et ordinaria significatione, donec aliqua manifesta ratio nos doceat figurate esse accipienda.* Fundamentum huius regulae est, quod figurata locutio se habet ad instar anomaliae vel exceptionis in ordine ad communem et proprium loquendi modum: ergo non gratis assumenda, sed probanda est. Contra hoc fundamentale criterium peccarunt saepissime haeretici, qui plura loca Scripturae nulla alia de causa metaphoricè exposuerunt, quam quia eorum erroribus contradicebant. Ita ex. gr. Calvinistae pertinaciter contendebant verba Christi Domini: *hoc est Corpus meum*, metaphoricum habere sensum, ut realem Christi praesentiam in Eucharistia excluderent: alii contenderunt aquam in qua Christus Baptismum conferendum esse ait Io. III, metaphoricè pro gratia divina accipiendam esse, et ita in aliis multis locis. Iudaei vero viceversa literalem sensum tenaciter admitterent, ubi evidenter figuratus erat sensus, ut in illis Isaiae vaticiniis de futuro Messia, ubi gloria eius et potentia sub figura temporalis regni describitur, et ubi praedicatur ad eius adventum gladios in falces conflandos esse, leonem et agnum simul pasturos et alia similia, quibus ita proprie et materialiter intellectis, recusarunt Christum agnoscere, eo quod in eius adventu talia fieri non viderunt.

Rationes autem illae, quae nos cogunt aliquando a propria significatione recedere, et tropum admittere, ad tres sequentes revocari possunt.

1° *Declaratio ipsius Auctoris.* Scilicet aliquando ipse Auctor vel in contextu sermonis, vel in alio loco literaliter explicat, quod tropicè expresserat. Quapropter sequens regula adhibenda est: *Locutiones illae tropicè et metaphoricè accipiendae sunt, quarum in ipsa Scriptura tropicus sensus declaratus invenitur.* Ut autem dignoscatur quando sacri Scriptores hoc fecerint diligenter expendendus est integer contextus, et varia loca de eadem re pertractantia inter se conferenda sunt. Ita ex. gr. Io. XI, 11 ait Christus de Lazaro aegrotante: «Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum.» Dubitari posset num literaliter

haec intelligenda sint, an vero metaphoricè, praesertim cum Apostoli ea proprio sensu intellexerint de vera ac propria dicta dormitione: at si coetera legantur apparebit verba illa metaphoricè fuisse, nam vers. 14 Christus rem ita clarius explicat: «Lazarus mortuus est.» Qua in re notatu digna est peculiaris agendi ratio Iohannis Evangelistae, qui solet omnes difficiliore sententias, praesertim figuratas, in Christi sermonibus occurrentes animadvertere, et declarare; fortasse quia cum postremus scripserit voluit de medio removeere erroneas quasdam interpretationes, quibus obscuritas quarumdam locutionum occasionem dederat. Ita ex. gr. praeter citatum locum de somno Lazari, idem facit Iohannes VII, 39 de aqua viva, quam Christus permittebat, idem II, 21 de templo dissolvendo et tribus diebus reaedificando, idem XXI, 19 de verbis Christi ad Simonem Petrum: «Cum autem senexis extendes manus tuas, et alius te cingat, et ducet quo tu non vis:» quod Iohannes dicit intelligendum esse de morte crucis Petro praedicta: item etiam paulo post vers. 22 et 23 de verbis se ipsum spectantibus: «Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?» Hinc speciale emolumentum derivare possumus: nempe locutiones, quae, si essent metaphoricè, difficiliorem et insolentem tropum continerent, si a Iohanne absque ulla explicatione referantur, in sensu proprio accipiendae sunt, secus enim Iohannes non omisisset metaphoram declarare. Obvia applicatio huius animadversionis occurrit in Cap. VI eiusdem Iohannis, ubi refertur Christi sermo promittentis se carnem suam in cibum, et sanguinem suum in potum fidelibus daturum, quae omnia ad metaphoricum sensum detorqueant haeretici Sacramentarii.

2° *Scopus loquentis* saepe docet an aliqua locutio proprie, an vero metaphoricè sit accipienda. Qua in re sequens regula tradi potest: *In legibus ferendis, in simplicioribus rerum gestarum narrationibus, et in accuratioribus doctrinae expositione non sunt supponendi tropi insoliti et audaciores, sed aut proprius verborum sensus, aut eae tantum figurae, quae ex communi usu omnino obviae, atque omnibus intelligibiles sint (1).*

(1) Regulam hanc ita temperavimus, quia si absolute negaretur quaecumque figurata locutio in praedictis locis, quemadmodum nonnulli faciunt, regula esset inaequata et in multis casibus falsa ostendi posset.

Huius regulae fundamentum est necessitas summae perspicuitatis in praedictis casibus, cui certe legislator vel praedicator male consulisset si insolitis illis figuris usus fuisset, quae difficiliter intelligerentur, et multis dubitationibus et falsis interpretationibus viam aperirent. Contra hanc regulam vehementer errarunt Calvinistae coeterique Sacramentarii dum metaphoram supponunt in verbis Christi Eucharistiae Sacramentum et Sacrificium instituentis, quae metaphora in re tanti momenti sensum ita obscurum reddidisset ut a nemine intelligi posset: nunquam enim inter homines auditum est panem vocari corpus humanum, aut vinum sanguinem. Contra vero obviae figurae in eadem Eucharistiae institutione locum habuerunt, ut cum Christus ait Luc. XXII, 20: « Hic est calix Novum Testamentum in Sanguine meo, » ubi per duplicem metonymiae figuram, sed facilem utramque et patentem, accipitur continens pro contento, et effectus pro causa. In locis vero poetis, uti Scriptor sibi proponit figuris et imaginibus sermonem ornare, ut fit ex. gr. in libro Iobi, et in Psalmis, audaciores etiam tropi saepe admitti possunt, et debent.

3° *Rei ipsius natura* figuratas locutiones saepe indicat. Hinc regula:

Si praedicatum et subiectum eius naturae sint ut alterum alteri proprie convenire non possit, alterutrum metaphorice accipiendum est.

Hinc omnes locutiones anthropomorphicae, et anthropopathicae de Deo, quibus scilicet membra, aut affectus hominis Deo tribuuntur, ut cum dicitur, ex. gr. *Dextera Domini fecit virtutem; oculi Domini super iustos; in digito Dei eiicio daemonia; poenitet me fecisse hominem*, et alia similia, certissime metaphoricae sunt, cum ista omnia simplicissimae Dei naturae repugnent. Item quae Christus praecipit Math. XVIII, 8, 9 abscindendam scilicet esse nobis manum vel pedem, et erudendum oculum ad vitandum scandalum, profecto accipienda non sunt proprie et iuxta materialem verborum significationem, sed metaphorice, quatenus res, aut personas etiam charas, et arctissimo vinculo nobis coniunctas aliquando a nobis arcere debemus, si Dei lex, et aeterna nostra salus id postulerint. Cavendum tamen est ne facile supponamus alicui subiecto repugnare, quod illi revera non repugnat, saepe enim non est contradictio, sed mysterium, ut ex. gr. cum de

Christo Domino contraria praedicantur, divina scilicet et humana, omnipotentia et infirmitas, aeternitas et tempus, quae tamen omnia simul vera sunt, et proprio sensu accipienda, pro duplici Christi natura in unitate personae. Legendus est de hac re Augustinus De Doctrina Christiana Lib. III, Capp. 10-12 et 16.

His igitur modis dignosci poterit propria ne, an figurata sit aliqua Scripturae sententia (1).

Verum parum prodesset scire aliquam sententiam figuratam esse, nisi etiam sciremus quid per illam figuram Sacer Scriptor significare voluerit. Hinc agendum.

§. III. De modo recte interpretandi figuras et metaphoras biblicas.

Generatim loquendo figuratae locutiones recte et adaequate intelligi non possunt nisi ab eo qui usum loquendi scriptoris apprime calleat; pro variis enim linguis et pro varia cogitandi et loquendi ratione uniuscuiusque gentis, aut etiam auctoris, diversa quoque est figurarum et imaginum indoles, quapropter etiam in Scripturis potest generalis haec regula tradi: *Figurae ac tropi biblici eo sensu intelligendi sunt, quo solebant intelligi et frequentari in ea lingua, et ab eo auctore in cuius scriptis occurrunt.*

Attamen cum haec regula nimis generalis sit, et non raro sacri Scriptores praeter communem loquendi usum figuras et metaphoras adhibeant, oportebit quaedam magis specialia haec de re notare. Itaque recta intelligentia figurarum biblicarum ex sequentibus fontibus petenda est.

1° *Ex rei natura.* Scilicet in figurata locutione tria subtiliter distinguenda sunt, *subiectum*, *terminus* comparisonis, et *fundamentum* ipsius comparisonis, illud scilicet in quo duo termini conveniunt, et cuius gratia unum cum altero comparatur, sive explicite, ut fit in similitudine, sive implicite, ut in tropis et

(1) Ex dictis apparet minus recte a nonnullis proponi hanc regulam generalem: *Sententiae S. Scripturae non sunt metaphorice accipiendae nisi quando sensus proprius verborum falsum aut absurdum continet.* Intrinsicae enim repugnantia non est nisi unum ex pluribus criteriis sensus metaphorici: et multa sunt Scripturae loca in quibus sensus proprius nullam absurditatem involveret, et tamen metaphorice intelligenda sunt ob alias rationes.

allegoriis. Diligenter itaque investigandum est in quo fundetur comparatio, idque ex ipsa rei natura plerumque dignosci potest; quo cognito, sensus figuratae locutionis clarus erit, nec ultra praefatum fundamentum extendetur. Fundamentum autem illud aliquando est utriusque rei similitudo, alias vero relatio vel nexus quicumque, puta effectus et causae, continentis et contenti, generis et speciei, inter utramque rem intercedens. Notandum autem est in hisce omnibus difficultatem saepe occurrere ex eo quod Orientales, ob indolem sibi propriam, relationem saepe vident inter res valde dissitas, quas inter nulla relatio existere nobis videtur: saepe etiam ex eo quod relatio exurgit ex circumstantia quadam speciali illius aetatis, qua Liber scriptus est, vel ex quadam consuetudine Hebraeorum propria a nostris diversa: quae omnia nisi attente inspiciantur recta figurarum explicatio haberi non poterit. En aliquot exempla. Ier. XXII, 6 legimus: « Haec dicit Dominus super domum regis Iuda: *Galaad tu mihi, caput Libani*: si non posuero te solitudinem. » Quaeri potest cur, et quo sensu regia stirps Iuda appellentur Galaad (scilicet montes Galaad) et vertex Libani? inspicientes naturam horum montium apparebit eos fuisse altissimos et nobilissimos montes Iudaeis notos; en igitur fundamentum imaginis, cuius sensus est: tu, domus Iuda, licet potentissima, et nobilissima atque excelsa sis, quemadmodum cacumina Galaad, et Libani, at tamen vastaberis, et in solitudinem redigeris, nisi respueris. Celebres sunt metaphorae quibus Christus Dominus Petri privilegia adumbravit Matth. XVI: « Tu es Petrus, et super hanc *petram* aedificabo ecclesiam meam..... et tibi dabo *claves* regni coelorum. » Quid tibi significet *constitui petram* Ecclesiae, et *accipere claves* regni coelorum rei natura satis docet. Officium enim fundamenti seu petrae fundamentalis aedificii est totum aedificium sustentare, et continere ne dissolvatur: hoc ipsum igitur Petrus in Ecclesia Christi praestabit, quod sine suprema, et absoluta potestate iurisdictionis facere non posset. Claves autem accipere alicuius regni, obvio, et omnibus gentibus, imprimis Orientalibus, familiari symbolo, idem est ac supremam accipere et independentem in idem regnum potestatem. Idem dicas de metaphora *pastoris* et *oculis*, sub qua Christus Io. XXI eandem primatum in universam Ecclesiam Petro contulit, ut Theologi fusius explicant.

2° *Ex contextu sermonis.* Saepe enim fit ut ex antecedentibus, et consequentibus clare definiatur sensus alicuius figurae, quae seorsim inspecta ambigua esset. Ita ex. gr. Luc. XVI, 8 si dubitetur quid sint *filius lucis*, contextus aperiet per oppositionem *filiorum huius saeculi*: erunt igitur ii qui non sunt huius saeculi sectatores, idest non mundanae gloriae ac mundi vitis servientes, sed Deo et virtuti. Ita quoque Matth. VII, 3 quid intelligatur per *festucam* et per *trabem* oculo haerentem manifestum fit etiam ex praecedenti v. 1: « *nolite iudicare ut non iudicemini,* » cui sententiae illustrandae allegoria illa statim subditur, qua proinde significatur, non esse rigide, et subtiliter scrutandos leviores morales defectus aliorum, cum nos ipsi gravioribus vitis teneamur. Ita quoque Os. VII, 4 legitur de Ephraim et Iuda: « *Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens:* » dubitari posset quid his imaginibus Auctor significare voluerit: num scilicet haec in laudem dicta sint, cum nubes et ros plerumque ad bona adumbranda adhibeantur, an potius reprehensionem continent: porro hoc alterum docet contextus totius capituli, in quo Deus amare conqueritur de Hebraeis, quod neque beneficiis, neque Prophetarum comminationibus ab iniquitate et idololatria sincere ac stabiliter revocari potuerint: nubes igitur et ros matutinus in figuram accipiuntur non ex ea parte qua bona sunt, seu gratam umbram et refrigerium praestant, sed ex ea parte qua defectum stabilitatis et constantiae praeseferant.

3° *Ex inspectione locorum similium, seu parallelorum.* Aliquando enim figurata locutio unius loci alibi explicatur, vel per clariorem metaphoram, vel etiam verbis proprio sensu acceptis. Ita citatus locus Matth. XVI de clavibus Petro promissis lucem accipit ex pluribus aliis locis ubi eadem metaphora recurrit, sed clarissimo prorsus sensu ex. gr. Is. XXII, 22 et Apoc. III, 7.

4° *Ex scopo loquentis.* Quod criterium potissimum valet in longioribus allegoriis, et parabolis explicandis. Ita parabola de rege debitum servo remittente, eodemque servo immisericoe Matth. XVIII lucem accipit ex quaestione paulo ante a Petro proposita: quoties essent offensae fratribus dimittendae, cui Christus respondet non septies sed *usque septuagies septies*, et statim subdit praedictam parabolam. Ita quoque scopus parabolae decem virginum

Matth. XXVI apparet ex conclusione vers. 13: « *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.* » Unde apparet totum sensum parabola ad vigilantiam in vita spirituali suadendam pertinere. Ex hoc autem interpres facile distinguere poterit quanam circumstantiae parabola specialem habeant significationem, quanam vero ea careant, prout ad scopum vel pertinent, vel indifferentes sunt. Nonnulla enim in parabolis, et allegoriis ponuntur dumtaxat ad ornandam sermonem, vel ad narrationem verosimiliorem efficiendam.

Haec sunt praecipua subsidia ad definiendum sensum figurarum biblicarum, praeter generale medium quod suppeditat accurata notitia usus loquendi. Cum autem interpres ex his vel aliis rationibus conatus fuerit obscuriorem figuram intelligere, ad ulteriorem rei demonstrationem poterit hoc experimento suam interpretationem subicere. Scilicet sensum, quem putat se invenisse, propriis verbis expressum substituat verbis figuratis, et pacato animo consideret an omnia recte se habeant: et siquidem inveniit omnia apprimè cohaerere rei naturae, loquentis scopo, et adiunctis, sermonis contextui etc. indicabit rectam a se interpretationem inventam esse, sin autem minus, iterum interpretatio tentanda erit.

CAPUT II.

DE CRITERIIS ET REGULIS LOGICIS INTERPRETATIONIS BIBLICAE

Superius animadvertimus solam philologiam non sufficere ad mentem auctorum semper et recte intelligendam, cum loquendi usus non ita sensum sermonis determinet, ut nihil relinquat rationi ac voluntati loquentis seu scribentis, qui dum verba inter se componit, et ad suum scopum accommodat, eorum significationem vel restringit, vel extendit, vel paullisper immutat, vel ad unum determinat. Quare ad eius mentem recte et adaequate percipiendam, praeter usum loquendi attendenda sunt etiam *Criteria logica* quae scilicet in humanae cogitationis legibus fundantur. Attendendum itaque est ad *contextum* seu ad connexionem partium ser-

monis inter se; consulenda sunt *loca parallela*, ubi scilicet auctor vel de eadem re loquitur, vel eandem loquendi formam adhibet; item investigandum est quinam sit loquentis vel scribentis *scopus*, quaeque fuerit sermonis *ocasio*; consideranda quoque est *substrata materia*, illius scilicet rei natura de qua fit sermo; denique ipsa *peculiaris forte cogitandi ratio* loquentis vel scribentis propria. Nam iuxta haec omnia auctor sanae mentis cogitationes et loquutiones suas accommodat.

Haec itaque sunt quae appellamus *Criteria logica* interpretationis, quaeque etiam in biblica Hermeneutica locum habent. De his nunc singillatim tractabimus studentes clare docere 1^o accuratam uniuscuiusque notionem atque indolem, 2^o eius valorem atque utilitatem in Hermeneutica Biblica, 3^o rationem illud animadvertendi, discernendi, et applicandi.

ARTICULUS I.

DE CONTEXTU SERMONIS

§. I. De contextus notione, eiusque divisione.

Contextus sermonis ita defini potest: *Nexus inter antecedentia et consequentia in eodem sermone*. Quoniam autem antecedentia et consequentia possunt inter se diverso connexionis genere copulari, hinc oriuntur diversae contextus *species*.

Si connexio sit stricte *logica* uti est ex. gr. inter subiectum et praedicatum, inter praemissas et consequens, inter partes et totum, vel genus et species, vel invicem opposita, tunc habetur contextus stricte *logicus*. Si vero partes sermonis inter se connectantur aliqua imaginationis repraesentatione, vel associatione, uti aiunt, idearum, potius quam logico nexu, contextus dicitur *psychologicus*, qui in Prophetis *opticus* a multis dici solet, eo quod plerumque in *visione* fundetur. Si autem antecedentia et consequentia simul iungantur ordine temporis quo res acciderunt, ut in historiis narrandis fit, habetur contextus *historicus* seu *chronologicus*. Denique si partes orationis simul pluribus ex hisce nexibus copulentur contextus erit *mixtus*, puta *logico-historicus*, vel *historico-opticus*.